100

# Minoribus Consiliariis

Sigismundus Rex etc.

Generose fidelis Dilecte. Cum proximi anni superioris Commitiis Decreta fuisset generalis expeditio bellica propter fines Regni tuendos, atque una de perfide hoste nostro, eas, quas commeritus est poenas sumeremus non ignorat, fidelitas tua expeditione illa parum nobis foeliciter accidisse; Ut minime sit dubitandum, plus etiam animorum hosti accidisse, posteaque tantos nostros conatus in nihilum recidisse cognovit, quin et metuendum esse videtur, ne hoc casu nostro adverso elatus proxima insequenti estate incursionem in Regnum ditionemque nostram faciat. Quamob rem impendentibus malis occurrere cupientes ad Ephiphaniarum diem magna Piotrcoviae Commitia ediximus, quae Conventus particularis in Prosschewice fa          Generalis vero in nova civitte Corczyn fa          de more procedent. Mandamus fidelitati tuae, simul atque bina ista Commitia minora obierit, atque omnem operam adhibuerit, quo Nuntii ex medio nobilitatis eligantur, homines prudentes, neque privatae rei suae sed publicae potius tranquillitatis et utilitatis studiosi, ut ad maiora Commitia se Piotrcoviam conferat ad diem nobis praefinitum, ubi nobiscum, una etcum aliis Regni Consiliariis et terrarum nuntiis consilium initura, qua ratione providendum sit, ne quid Respublica Regni nostri in sequenti estate detrimenti accipiat, sed eas quas commeruit poenas perfidus hostis nobis persolvat. Pro Officio suo et gratia nostra aliter non factura